



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 42. Rex noctu relicta Parisina Urbe Carnutum secedens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

§. XLII.

Sæcul. XVI.

A.C. 1588.

Rex noctu relicta Parisina urbe Car-
nutum secedens.

Ea nocte nonnisi de Ducis propositio-
nibus deliberatum, altera autem
die Rex cum Regina Matre sua clausis
cubiculi foribus conferens eidem auctor
existit, ut Guisium Ducem rursus vi-
sum iret, ac sese ad acceptandos hosce
articulos pronam fingeret, atque hujus
foederis firmitatem longius protraheret,
ut hujus moræ opportunitate Rex clam
Parisiis excedendi spatium nactus præ-
pedire posset, ne in suo Luparæ Palatio
obsideretur, quod foederati exequi de-
creverant: verum hoc Regis consilium
nimis tardum erat: cum enim ei iden-
tidem nuntiaretur, quod rebelles in
Fratrum Minorum conventu armamen-
tarium erigerent, ac iidem foederati Re-
gem captum abducere omnino decrevis-
sent, hinc Henricus III. metu jam præven-
tus falsis hisce rumoribus fidem præbe-
bat, suoque consilio Reginæ Matri, ac
quibusdam Ministris manifestato tumul-
tuatim per portam horti, qui a tegulis
nomen habet, inde vero ad Fuliensium
monasterium, quod tunc nondum intra
urbis ambitum claudebatur, aufugit,
ubi conscenso equo, Helvetiis, ac regii
satellitii legione, necnon quibusdam Au-
licis

*Thuan. l. 90.**Davil. l. 9.**Maimb. l. 3.**pag. 259.*

Sæcul. XVI. **A.C. 1588.** licis stipatus Trappæ prope Versallias pernoctabat, altera autem die Carnutum contendit. Guisus Dux per hanc fugam sua spe frustratus unice eo intentus erat, ut Parisinam urbem sibi subjiceret: porro eidem præprimis Laurentius Testus Bastilliam, cui præerat, tradidit, ipse vero Dux Vincennis postea occupatis comitia indixit, ut novi Magistratus crearentur, ubi Perrusio ex auctorato, ac Bastillæ arci incluso Capella Martellus Mercatorum Præfectus nominabatur, & cum uterque Ædilis Contius, & Lugolius Regem secuti abessent, eisdem subrogabantur Campanus, & Rolandus ambo Guisio Duci, & Fœderatis addicti: denique Bastillæ administratio Bussio Clerico ex sedecim vehementissimo committebatur: hoc enim nomine insigniebantur illi, qui fœderatorum nomine in sexdecim Parisinæ Urbis Regionibus imperitabant.

§. XLIII.

Regis, ac Guisii Ducis epistola ad Provincias.

*Thuan. l. c.
Mem. de la
Lig. t. 2.
pag. 352.
& 359.*

Postea Rex Carnutum delatus die decima septima Maji ad Provinciarum Rectores ea omnia, quæ nuper Parisiis contigerant, perscripsit, eisdem præcipiens, ut suæ jurisdictionis urbibus Parisiensium seditionem nuntiarent, omni-